

RECENSIO

UNIVERSI CLERI DIOECESIS QUINQUE-ECCLESIENSIS,

DISTINCTE A TEMPORE AMOTÆ CUM EXITU SE-
CULI 17-MI TIRANNIDIS TURCICÆ, RESTITUTÆ-
QUE IN HIS PARTIBUS TRANQUILLITATIS, USQUE
AD PRÆSENS TEMPUS, COMMENTARIIS HISTORI-
CIS ILLUSTRATA,

PER

Josephum Brüzstle,

PAROCHUM OLASZENSEM IN DIOECESI QUINQUEECCLESIENSI.

Tomus IV.



QUINQUE-ECCLESIIS,
TYPIS ANDREAE MADARÁSZ (SIGISMUNDI SIMON)
1880.

Parochia Simontornya.

(Comitat. Tolna.)

2318.

Oppidum Simontornya in insula, quam Sió et Kapos amnes efficiunt, situm, in syllabo ecclesiarum dioecesis nostrae, quem codex collectoriae exhibet, non reperitur; et verisimiliter sub vocabulo ecclesiae dioecesis Weszprimiensis archidiaconatus Albensis „*Synumcarunia*“ latet. Nunc in dioecesi nostra continetur, et cum intra Táapé et Ozora, ac cis fluvium Sió existat, recte intra limites a sancto Rege definitos includitur.^{a)} Spectantia ad hanc parochiam loca *Vám*, *Igar* et *Dád* commemorantur quoque in antiquorum temporum scriptis, et quidem posterior ut plebania occurrit in collectoria, siquidem legitur: 1333. *Paulus Sacerdos de Dada solvit 7. banales*; — 1334. *Paulus de Dada*; — *Thomas de Dada solvit 1. grossum.*^{b)} — Loci *Igar* et *Vám* inferius fit mentio.

Hodiernum oppidum Simontornya olim non ul-

a) Koller Proleg. 74. — b) Idem II.

timae celebritatis locum, et quidem munitum fuisse testantur plura monimenta literaria, quorum quaedam isthic recitare libet, in quibus plura locorum partim hodiedum existentium, partim vetustate consepultorum nomina apparebunt:

Anno 1324. — Karolus, Dei gratia, Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Comaniae, Bulgariaeque Rex, Princeps Salernitanus, et honoris ac montis Sancti Angeli Dominus. Omnibus Christi fidelibus, tam praesentibus quam futuris, praesentium noticiam habituris, salutem in omnium Saluatore. Justis petentium desideriiis benevolum praebere assensum ius invitat et regalis sublimitas exhortatur. Proinde ad vniuersorum notitiam harum serie volumus peruenire: Quod accedens ad nostre Serenitatis praesentiam Magister Johannes, filius Hench, rector castri seu ciuitatis noui montis Pestien. et castellanus de Owár dilectus nobis et fidelis, suaeque fidelitatis innumera seruitia et fidelitatis multimoda obsequia pro attollentia nostri regalis honoris et incremento coronae nostrae, regiaeque Majestatis nobis a toto eo tempore, quo divina opitulante gratia regni Hungariae gubernacula suscepimus, nobis iure geniturae deuoluti, atque naturali propagine prouenientis, cum supremae fidelitatis studio, exacta diligentia exhibita, et impensa explicans et declarans, petiit a nobis, vt intuitu seruitiorum eiusdem sibi et per eum suis heredibus castrum, seu turrim, siue possessionem *Symonthornya* vocatam cum omnibus suis attinentiis, pertinentiis et vtilitatibus atque tenuis vniuersis, scilicet cum inserta, quae sub dicto castro existit, item cum possessione Bord, Menend, Parasztszekul, Myzla, *Wam*; item cum pos-

sessione *Igor* vocata, exceptis porcionibus Nobilium in eadem possessione existentibus, item cum possessione Deeg, Item cum possessione Supuna nominata, item cum possessionibus Herchuk, Hothwan, Beseneu, Egrus, simul cum portu suo, item Keseleufeszuk, item cum terra vltra Saar, in qua est Ecclesia in honore Sancti Leonardi constructa, dare benignitate regia et perpetuare, atque perpetuo conferre dignemur. Nos itaque auditis eiusdem Magistri petitionibus, ipsiusque seruitiis multa laude dignis, in nostrae memoriae cellulam reuocatis, praesertim his, quae in *expugnatione castris Tholnawar*, quod a nostris infidelibus contra nostram detinebatur maiestatem, studuit complacere, et se reddere gratiosum, sub quo quidem castro in nostro seruicio coram nostrae Maiestatis oculis vulnus sumpsit lethale, vbi etiam duo sui proximi extiterunt interempti, ceterisque ipsius seruitiis, quae longum esset per singula enarrare, et praesentibus inseri taediosum, diligenter percunctatis et pensatis, volentes tot et tanta ipsius seruitia donationis magnificentiae regiae aliquantulum praemiare, licet multo plura mereretur, in aliqualem tamen aliquantulum seruitiorum eius recompensam memoratum castrum eidem Magistro Johanni, Rectori dicti castris noui montis Pestiens. seu ciuitatis Budensis, et Castellano de Owar, dilecto nobis et fidei castrum *Symonthornya* vocatum cum omnibus suis attinentiis, pertinentiis et vtilitatibus atque tenentis vniuersis, scilicet cum insula, quae sub dicto castro existit, item cum possessionibus etc. (hic enumerantur, ut superius,) — donauimus et contulimus et tradidimus etc. Datum per manus discreti viri Magistri Andre, Lectoris Quinqueecclesiensis. aulae nostrae Vice-Cancellarii, dilecti et fide-

lis nostri. Anno Domini MCCCXXIV. Quarto decimo Calendas Februarii etc.^{c)})

Anno 1397. quarto nonas Martii Sigismundus rex possessiones Stephani, filii condam Dionysii vojvodae *de Simontornya*, item Stephani vojvodae, filii Stephani, filii Lack de Csáktornya, fratrisque eorum Andreae, in Ladislaum, Caroli Parvi filium contra se conspirantium, Turcasque in partes Hungariae introducentium, quibusdam de familia Kanizsay confert.^{d)})

Anno 1401. idem rex Sigismundus jura sacrae coronae in Rasciam, Moldaviam, Valachiam et Bulgariam persecutus, merita Kanizsayorum explicat, et castris *Simontornya*, Rovo etc. noviter donatis et assecuratis remunerat. In hoc diplomate solito prolixiore praeter reliqua haec leguntur: Sane ad vniuersorum notitiam harum serie volumus peruenire: Quod cum castrum *Simonytornya* nuncupatum in Tolnensi, simul cum oppidis et possessionibus, et signanter Helgesz, (hod. Hőgyész) Keszew, alio nomine Hideghkuth, superiori parte villa Bykuen habitatoribus destitutae, Hideghkuth, Beolch, (Böleske) Band, Kverbeu (Görbő), cum tributo, Egres inferiore cum tributo, medietate villae *Simonytornya*, alio nomine Menend similiter cum tributo, in eisdem exigi consueto, Dorog, Chy-leg, Myzke, Zehel, Barlyad (Borjád,) Wargocha, Uj-falu et Zentpéter, in eodem Tolnensi, item medietate villae *Simonytorna*, alio nomine Zügeth (Szigeth,) Bösd, Hurkuth et Egres superiore in Albensi. Item *Waam* medietate villae *Igar* et Bolkach vocatis in Wesprimiensi Comitatus habitis, et silvarum, nec non ceteris quibuslibet Juribus, Jurisdictionibus, tri-

c) Fejér eod. dipl. VIII. 2. p. 519. et seq.

d) ibid. X. 2. 415. et seqq.

butis, molendinis, obuentionumque et commoditatum vniuersarum, tenutarum et pertinentiarum integritatibus ad dictum Castrum *Simontornya* rite et ab antiquo spectantibus etc.^{e)}

Anno 1434. capitulum Albense Georgio archiepiscopo Strigoniensi rescribit: dominam relictam et Albertum filium Bychkele de Ewrs trina publicatione evocatos fuisse. Trina haec publicatio ternis in locis facta est, nempe feria quinta proxima ante dominicam „Laetare“ in oppido Ozora, secunda vero altera feria quinta in *Simontornya*, tertia demum sabbato in Püspök-Székely.^{f)}

Hic commemorandum venit: anno 1764. inter vineas Simontornyenses calicem terra contectum fuisse repertum una cum patena, et quidem calici eximii operis insculptus fuit annus 1454. in dorso autem patenae fuit sertum cum pharetra sagittis plena, in medioserti una apparuit sagitta evibrata. Calix iste anno 1775. a comite Carolo Limburg-Styrum, eotum domino terrestri, conventui ejati dono datus fuit, qui sacris usibus nonnisi in festis Sabaoth applicatur.^{g)}

Tempore turcico incolae Simontornyenses per plurimorum annorum recursus sine pastore, sine ecclesia constituti, finaliter jam nec ideam catholici sacerdotis habentes, obvio helv. conf. ministro turmatim adhaeserunt, ita, ut nullum catholica sacra secutum in gremio suo tolerare voluerint. Tristis hic status perduravit usque ad Budae expugnationem;

e) *ibid.* X. 4. p. 48. et seqq.

f) *ibid.* X. 7. p. 593. — Notandum: quod, prout hodie duae possessiones Székely (Nagy- et Kis-Székely) existunt, ita antiquitus etiam binae nominentur, videlicet: *Püspök-Székely* altera, altera *Paraszt-Székely*.

g) ex instrum. visitat. can. anni 1828.

circa id tempus introductus fuit huc plebanus ecclesiasticus. Certum est hic loci inter annos 1686. et 1692. parochum e clero seculari exstitisse et isthic paulopost fatis concessisse, quod palam fit ex sequentibus: Baro Tullius Miglio, commissarius cameraticus, infensissimus Mathiae Ignatii Radonay episcopi Quinqueecclesiensis adversarius, prout alias, ita et circa annum 1692. querimoniam movit contra episcopum, ex 34. punctis constantem, quae puncto 27-o haec continet: „Post mortem Parochi Simontornyensis Dnus Eppus omnem ejus substantiam occupavit secumque abstulit, praetextuans: quod ipsi centum florenis idem Parochus tenebatur, ubi tamen idem adhuc in vivis existens eosdem 100. finos a Dno Eppo constanter praetendebat.“ Episcopus in sequelam emanati sub dato 4. April. 1692. camerae reg. aul. replicam ad querimoniae puncta exaravit, respondendo ad punct. 27-um „Asserit malitiose pars adversa: quod ego post mortem Parochi Simontornyensis omnia sua ad me receperim, sub praetextu eo, quod mihi 100. finos debeat; ubi tota praedicti Parochi substantia vix 10. finor. pretium adaequarit, quae summa pro sacris applicari posset; adeo et huic pessimae relationi solemnissime protestor.“^{h)}

Post defunctum hunc parochum (nobis de nomine ignotum) censetur nullus amplius de clero dioecetano isthic illocatus fuisse, sed interdum patres Franciscani prov. Marianae jam ex Weszprimiensi, jam ex Albensi coenobio, missionario more huc ventitantes paucis fidelibus panem vitae frangere perrexerunt. Non multo post patres Bosnensis provinciae occuparunt locum hunc; siquidem vero inter hos

h) ex archiv. nostrae dioec.

linguae hungaricae gnarus vix ullus reperiretur, et sic populo patrii labii servire haud quirent, idcirco P. Joannes a Sirmio ejusdem provinciae commissarius visitator generalis parochiam istam anno 1717. resignavit Marianis, qui abinde parochiam administrare coeperunt.

Dum 1722. die 20. Februar. visitaretur parochia Simontornya, sequentia de illa exponuntur: „Ecclesia fuit olim mossea turcica, pro nunc *divo Hungariae Duci Emerico* dovota, et recentissime scandulis sarta tecta in anno 1720. idque oppidaneae communitatis pecunia; cujus sacristia post altare majus ex sepe et luto constructa est; corpus antiquae moscheae ex tegula cocta erectum, non parvas agit rimas, scissumque est in plurimis partibus, cujus tertialitas, seu in ingressu templi versus occidentem, partim ex sepe, partim ex tegula egyptiaca aedificata est. Laquear est asseritium, in sanctuario utcunque constructum, versus autem chorum transparent. Ad latus Evangelii habetur arcus ex sepe, incrustatus, ubi antiquitus fuerat capella, itidem ex sepe et luto, nunc autem ventis pervia, in qua altare agoniae est; celebrari autem saltem potest in ea tempore pacato, et a ventis libero. Praeter hoc sunt altaria tria; primum seu majus S. Emerici, licet hujus Sancti imago in altari non habeatur (!) — Constat autem pede lateritio, cui in medio tabernaculum arculario labore constructum, nec tamen decoloratum, appositum est; huic supereminet imago Christi crucifixi, artificioso penicillo elaborata. Sunt praeterea carthaceae appatae imagines nro 12. Hanc aram in superficie sua ornat *S. Apostolus Simon*, coloribus oleaceis figuratus. Secundum altare ex parte epistolae *divo Antonio*

Paduano sacra, constat ex statua ejusdem Sancti, exilis magnitudinis, integre deaurata. Tertium est ex parte evangelii *B. M. Virginis* honori dicata; habet statuam mediocriter magnam.“

Occasione hujus visitationis producta fuit annuentia episcopi Nesselrod super loco et ecclesia his Religiosis tradita, sequentis tenoris: „Nos Wilhelmus Franciscus Sacri Romani Imperii Comes a Nesselrod, Dei et Apostolicae sedis gratia Episcopus Quinque-Ecclesiensis, Liberae et exemptae Praepositurae Regiae Albensis Praepositus, II. Comitatum de Banya, Tolna et Valpo supremus ac perpetuus Comes, Cathedralium Ecclesiarum Monasteriensis et Leodiensis respective Thesaurarius, et Canonicus, Dominus Haereditarius in Thum, Velterod et Vegberg, S. C. et Hispaniarum Regiae Majestatis Consiliarius Intimus.“

„Quandoquidem apud nos almae Provinciae Sanctae Mariae in Hungaria Minister Provincialis Capistranus a Seebach humillime institisset, quatenus autoritate nostra, qua in dispositione negotiorum spiritualium pro emolumento Sanctae Matris Ecclesiae, ac extirpatione haeresum, qua dioecesanus Ordinarius Ecclesiae Quinque-Ecclesiensis, Plebaniae locum, quem nunc incolunt, et Ecclesiam, quam modo tenent, olim alias utrumque in oppido nimirum Simontornya situm, fato ordini in perpetuum adscribe-remus, ut exinde pro fratribus perpetuo ibidem comorantibus, sub clausura aliarum Residentiarum praedicti ordinis industria superius nominatae Provinciae Residentia erigi et aedificari possit.“

Nos itaque ejusdem Provinciae desiderio annuentes, eundem dictum locum et Ecclesiam perpetuo

tute possidendam, ac libere tenendam concedimus, cum conditione tamen, ut tamdiu Parochialia dictae Residentiae Patres administrent, donec legitimus Parochus a nobis vel a nostris successoribus, aut a Vicario Generali nostro, pro tempore ibidem subrogatus fuerit; neque per hanc administrationem jus aliquod perpetuum sibi adquisivisse praetendant; verum dum parochus, ut superius, accersitus et constitutus fuerit, dicto Parocho omnia sacra suppellectilia, eaque illibate relinquent, fructus emolumentum, et reliqua Parocho obvenientia beneficia, sine ulla difficultate cedent. Datum Quinque-Ecclesiis 20. Septemb. 1720. Wilhelmus Franciscus Eppus 5-Ecclesiens. Comes de Nesselrod.“

In eadem visitatione commemoratur insuper, quod a Residentia Simontornyensi possideatur jure parochiali vinea 5. fossorum, fundi caeterum sat ampli, per implantationem vitium novarum augeri, multiplicarique potest.

Visitatio anni 1729. paucis absolvitur prorsusque nihil memoratu dignum continet. In corscriptione vero anni 1733. dicitur: quod PP. Franciscani modo novam ecclesiam cum conventu erigant. Eotum fuere omnes proventus parochiales in 89. fl. 85. den. consignati; ludirector erat *Stephanus Kovács*.

Anno 1753. visitatum fuit duntaxat oratorium helv. conf. in Simontornya, qua occasione convocati fideles catholici referunt prae reliquis, se recordari, dum in loco, ubi hodie PP. Franciscanorum ecclesia sita est, parochialem ecclesiam exstitisse, per patres Franciscanos Bosnenses administratam, domum vero parochialem eo loco stetisse, ubi nunc novum aedifi-

cium*) struitur. Cum autem praedicti Franciscani Bosnenses ob defectum linguae hungaricae pro eodem administrationis munere sufficientes non fuissent, moderni subingressi sunt. Referunt: fuisse illi parochiali ecclesiae apparamenta sua, utpote calices vel calicem, cum fideles desuper se reflectere nesciant, an unus vel plures fuerint? casulas, ostensorium, vexilla etc. quorum specificationem se habuisse dicunt, quo vero nunc devenerint, nescire. Referunt: fuisse eidem ecclesiae legatam a quodam Trombitás nuncupato novem circiter fessorum vineam, hancque ea causa per communitatem laboratam semper fuisse, quod ecclesiae fuerit. De fructibus illius vineae nihil referre aliud sciunt, quam quod a PP. Franciscanis collecta fuerit. Penes latus ecclesiae veteris etiam exiguae amplitudinis conjunctum loculum, sepibus cinctum, fuisse referunt, in quo scholae rector residebat et pueros instituebat.

Comparuerunt e residentia Simontornyensi *P. Marcus Szloboda* praesidens, et *P. Stephanus Geszty* vicarius. Iidem itaque patres ab anno 1717. hic loci mansionem suam inchoasse referunt; anno dein 1719. ab episcopo Quinqueecclesiensi attunc comite Wilhelmo Francisco Nesselrod cessionem fundi parochialis una cum ecclesia in perpetuum concessam in scripto, sub vidimata eorum vicarii gen. Kapucsy, producant, imo cum nonnullam conditionem tamquam moraliter impossibilem circa fundum praedicantis helv. conf. ipsorum provincia uti notata domestica indigent, acceptare non libuisset, anno 1720. aliud decretum a fato episcopo Quinqueecclesiensi obtinuerunt citra ejus conditionis insertionem, cum

*) Probabilis dominale.

onere tamen, eandem parochiam eousque administrandi, donec seu sibi, seu vicario generali, vel successoribus aliter visum esset, talique casu universa ad ecclesiam pertinentia resignare obligarentur. Sed et D. Comitum Wilhelmi a Limburg Styrum tamquam loci domini terrestres literas in paribus eduxerunt, quibus parochiam eandem, seu fundum ab oriente orgiarum 31. ab occidente pariter tot orgias continentem, non secus in latitudine a meridie 21., a septentrione 59 $\frac{1}{2}$. orgias complectentem, ddo Simontornya die 27. Maji 1722. eisdem concessit. Demum sub dato 15. Octobr. 1741. a domina comitissa Barbara Koháry, tamquam comitis olim Caroli a Styrum successorum tutrice et curatrice emanatas literas producant, quibus eadem domina tutrix aliquas fundi particulas, utpote a loco, ubi hodie immurata statua S. Antonii visitur, orientem versus 17. passus, et usque dum occurratur alteri angulo per descensum versus meridiem rursus 12. passus eisdem attribuit. — Anno 1753. numerus animarum cath. relig. fuit 647.

Ecclesia moderna conventualis ex bonis materialibus, deposito 21. Aug. 1731. fundamentali lapide, sumtibus provinciae et nonnullorum benefactorum collatis obulis, anno 1734. usibus sacris adaptata, die 4. Octobr. e. a. cum indultu vicarii generalis per P. Adalbertum Kéthelyi fuit benedicta, primum *S. Adalberto*, dein, consummato anno 1768. aedificio ecclesiae, sanctis *Apostolis Simoni et Thaddaeo* dicata. Praeterea erant octo arae laterales: 1. Crucifixi Salvatoris, 2. Dolorosae B. Virginis, 3. S. Francisci, 4. S. Antonii, 5. S. Judae Thaddaei, 6. S. Annae, 7. B. Mariae Virg. nigrae, 8. S. Joannis Nepomuceni.¹⁾

¹⁾ Ex visitat. anni 1783.

Notari hic meretur, quod congregationes comitatus Tolnensis usque ad annum 1779. cumprimis Simontornyae fuerint habitae. Praebuit quoque hoc oppidum refugium malecontentis Rákóczyanis, donec anno 1709. per Heisterum caes. reg. copiarum ductorem hinc eliminati exstitissent.

Oppidum superius ab interiori separabat olim fluvius Sió in duobus alveis decurrens, et per binos pontes fiebat ad interius oppidum aditus; sed regulatione Sárviziana, isthic anno 1822. perfecta, late diffusis aquis, aggeribus ad principalem canalem repressis, pontibus sublatis, plano viator fertur itinere. Statuola S. Joannis Nep. a sinistris relictā ad oppidum interius, ubi a dextris visendam se offert statuā SS. Trinitatis et ruinae fortalitii antiqui, olim aquis circumsepti, ac nonnisi per pontem attractibilem accessibilis. In interiori oppido est quoque monasterium PP. Franciscanorum cum ecclesia, cujus longitudo 24. latitudo 7. orgias efficit; cryptam habet sub sanctuario. Ibi habetur etiam domus ad contignationem elevata, olim comitis a Limburg-Styrum residentia.²⁾

Sequitur series administratorum :

1. Ludovicus Illyés, ord. S. Fr. prov. Marianae, qui probabilius post defunctum, supramemoratum parochum missionario more isthic fungebatur. † in *Sancto Antonio* 24, Dec. 1701.

2. Paulus Diánoczi, ex provincia Bosnensi.

3. Michael a Buda, cognomine *Lugánovics*, aequē

² Visit. anni 1828.

prov. Bosnens. qui 1714. interfuit synodo dioecese-
nae, de quo legitur: Ordinis S. Patris Francisci de
observantia, ex oppido Simontornya, siquidem Ven.
Patres in oppido Simontornya degentes administrant
Parochiam et Ecclesiam S. Bernardini Senensis ejus-
dem oppidi; pariter instar filialium pagos viciniore,
veluti Kis-Székely, cum Ecclesia S. Georgii; item
Koppán cum Ecclesia S. Catharinae V. et Martyris,
quae tamen Ecclesia pertinet ad Dioecesim Wespri-
miensem; item pagum Szakcs, cum Ecclesia diruta
Dioecesis Quinque-Ecclesiensis.³⁾ — Hic religiosus
decessit in *Földvár* 1725. 14. Febr.

Praesidentes ab anno 1717.

4. (1717.) P. Sigismundus Lukácsi. † *Wesz-
primii* 11. Dec. 1729.

5. (1719.) P. Leo Ágoston. † *Comaromii* 19.
Dec. 1744.

6. (1720.) P. Ladislaus Tóth. † in *Sancto Ladis-
lao* comit. Zala 5. Januar. 1739.

7. (1728.) P. Innocentius Jászy. † *Simontornyae*
8. Julii 1729.

8. (1729.) Michael Terperics. † *Nitriae* 16. Oc-
tob. 1750.

9. (1730.) P. Alexander Kerkapoly. † *Érsekúj-
várini* 30. Julii 1762.

10. (1734.) P. Alexander Kéthelyi. † *Sexardini*
ut par. administrator 5. Junii 1739.

³⁾ Péterffy II.

11. (1735.) **P. Blasius Krukics.** † *Kis-Martonii*
24. Januar. 1760.

12. (1736.) **P. Victorianus Vörös.** † *Rosonii* 2.
Dec. 1767.

13. (1737.) **P. Cornelius Prezatek.** † in *S. Catharina* 25. Sept. 1777.

14. (1738.) **P. Rochus Fábiani.** † *Jaurini* 27.
Nov. 1746.

15. (1739.) **P. Hieronymus Pintér.** † *Budae* 3.
Octob. 1767.

16. (1741.) **P. Bruno Paulicska.** † in *Andocs*
1. Januar. 1765.

17. (1742.) **P. Leonardus Gazsi.** † in *Zala-Sz.-László* 17. Mart. 1757.

18. (1743.) **P. Simon Bosnyák.** † in *Érsekújvár*
13. Januar. 1785.

19. (1744.) **P. Lazarus Hlatki.** † *Comaromii* 3.
Januar. 1757.

20. (1747.) **P. Vitalis Weiszkopf.** † *Kismartonii*
7. Nov. 1782.

21. (1748.) **P. Antonius Perczel.** † in *Zala-Sz.-László* 3. Aug. 1768.

22. (1750.) **P. Stephanus Geszti.** † *Keszthelyini*
21. Junii 1754.

23. (1751.) **P. Simon Bosnyák,** qui supra.

24. (1752.) **P. Stephanus Geszti,** qui supra.

25. (1753.) **P. Marcus Szloboda.** † *Tyrnaviae*
28. Julii 1767.

Guardiani :

26. (1755.) **P. Benedictus Benedik.** † in *Vezekény* 24. Dec. 1764.

27. (1746.) **P. Norbertus Czitkovics.** † in *Andocs* 28. Sept. 1783.

28. (1759.) **P. Adolphus Kovács.** † *Posonii* 7. Aug. 1784.

29. (1760.) **P. Jonas Urbanovics.** † *Nitriae* 12. Febr. 1783.

30. (1761.) **P. Norbertus Czitkovics,** qui supra.

31. (1763.) **P. Jonas Urbanovics,** qui supra.

32. (1764.) **P. Adolphus Kovács,** qui supra.

33. (1765.) **P. Cassianus Frank.** † *Simontornyae*
11. Febr. 1779.

34. (1767.) **P. Valerianus Holvek.** † *Budae* 11. Sept. 1779.

35. (1768.) **P. Sigismundus Besics.** † in *Romogy* 7. Oct. 1784. sepult. in *Pratis Marianis* (Trau-
kirchen.)

36. (1769.) **P. Thomas Hemozer.**

37. (1770.) **P. Valentintus Czinics.** † *Tyrnaviae*
26. Junii 1796.

38. (1771.) **P. Seraphinus Biskupics.** † *Posonii* 26. April. 1779.

39. (1773.) P. **Hermenegildus Grinschenk**, †
Sopronii 21. Maji 1788.
40. (1776.) P. **Cassianus Frank**, qui supra.
41. (1779.) P. **Aemilianus Usina**, † *Strigonii* 2.
Sept. 1805.
42. (1781.) P. **Nicolaus Preszeker**. † *Pestini*
29. April. 1789.
43. (1784.) P. **Innocentius Perger**. † *Comaromi*
19. Dec. 1794.
44. (1785.) P. **Hyacinthus Vlaszati**. † in *Körös-
hegy* 14. Junii 1799.
45. (1788.) P. **Clarus Hanzsovszky**. † *Mikolac*
ad *Strigon.* 18. Dec. 1795.
46. (1789.) P. **Mansvetus Rosenberger**. † *Ro-
sonii* 27. Febr. 1798.
47. (1791.) P. **Bernardinus Kolencsics**. † in
Andocs 17. Oct. 1797.
48. (1792.) P. **Julius Stroh**. † in *S. Joanne* ad
Sassinium 24. Junii 1807.
49. (1794.) P. **Antonius Reigl**, 1745. *Rosonii*
natus, — profess. 30. Julii 1764. ordinat. 29. Nov.
1768. † *Simontornya* qua actual. guardian. et paro-
chiae administ. 21. Julii 1797, aetat. 51.
50. (1797.) P. **Clemens Schreiner**. † *Rápae* 13.
Julii 1809.
51. (1800.) P. **Bartholomaeus Szmetyenay**. †
Strigonii 20. Junii 1808.

52. (1803.) **Augustinus Somogyi.** † *Simontornyae*
25. Januar. 1809.

53. (1806.) **P. Emericus Magyarossy,** *Strigonii*
1746. progenitus; profess. 10. April. 1767. ordinat.
24. Sept. 1769. † *Simontornyae* 6. Sept. 1813. aet. 67.

54. (1810.) **P. Innocentius Török.** † *Posonii* 14.
Mart. 1817.

55. (1811.) **P. Antoninus Jemri.** † in *Zala-Sz.-*
László 24. Maji 1821.

56. (1812.) **P. Peregrinus Rochus,** mundo 1753.
datus in *Nagy-Födemes*; profess. 30. Mart. 1774. or-
dinat. 18. Sept. 1779. † *Simontornyae* 20. Febr. 1823.
aetat. 70.

57. (1815.) **P. Cassianus Tiringer.** † *Pestini*
24. Dec. 1819.

58. (1816.) **P. Peregrinus Rochus,** qui supra.

59. (1818.) **P. Malachias Jakubecz.** † *Strigonii*
27. Julii 1827.

60. (1819.) **P. Dismas Gyadi,** nat. 17. Febr.
1777. profess. 19. Febr. 1801. ordinat. 28. Aug.
1801. † *Malaczkae* 2. Julii 1845.

61. (1821.) **P. Seraphinus Piteszer,** nat. 10.
Mart. 1782. profess. 10. Mart. 1803. ord. 31. Mart.
1805. † in *Pratis Marianis* 24. Maji 1854.

62. (1822.) **P. Servulus Hajlics.** † *Kis-Martonii*
21. Junii 1833.

63. (1824.) **P. Crysogonus Kraft,** *Posonii* 1780.
9. Sept. hominem induit; profess. 8. Sept. 1802. or-

dinat. 21. Sept. 1803. — Curae valetudinis intentus *Albam-Regiam* discessit, ubi qua act. guard. et administrat. Simontornyensis vivere desiit 15. Nov. 1826. aet. 47.

64. (1827.) P. Emericus Horváth. † *Strigonii* 12. Maji 1834.

65. (1829.) P. Leopoldus Horváth, nat. 6. Dec. 1785. profess. 7. Dec. 1806. ord. 7. Febr. 1809. † *Strigonii* 17. Dec. 1851.

66. (1830.) P. Paulinus Pangi, nat. 30. Mart. 1782. profess. 14. April. 1803. † in *Alsó-Ápáthi* ut capell. dominal. 31. Aug. 1842.

67. (1833.) P. Rudolphus Kiss, nat. 14. April. 1782. prof. 14. April. 1803. ord. 29. Junii 1805. † in *Sümegh* 16. Junii 1850.

68. (1835.) P. Thaddaeus Petrovics, nat. 30. Januar. 1777. prof. 3. Febr. 1801. † in *Sümegh* 2. Maji 1843.

69. (1836.) P. Matthaeus Zsálik, nat. 6. Maji 1792. *Rápac*; profess. 8. Maji 1813. ordinat. 15. Aug. 1815.

70. (1838.) P. Gotthardus Vinceze, nat. 14. Aug. 1795. prof. 15. Aug. 1816. ord. 15. April. 1819. † in *Zala-Sz.-László* 25. Octob. 1849.

71. (1840.) P. Gregorius Peleczmann, *Weszprimii* 10. Aug. 1794. prognatus; 1815. indutus; 1821. *Strigonii* ordinatus; 1858. „Praedicator Generalis“ nuncupatus. Pluribus libris in aedificationem fidelium editis inclaruit. — † *Pestini* 11. Nov. 1870. aet. 77.

72. (1844.) **P. Clarus Kozma**, in *Vörösvár* comit. Nitrien. 14. Aug. 1798. ortum habuit; profess. 16. Aug. 1819. ordinat. mense Augusto 1821. — Qua act. guardian. et administ. vitae finem fecit *Simontornyae* 11. Dec. 1848. dum completeret annos 50. cum 4. mensibus. Per eppum Scitovszky, eo quod ut actualis parochiae administrator occubuerit, clero nostro dioecesano pro consvetis suffragiis fuit annunciatum, quae etiam absolvimus.

73. (1848.) **P. Quirinus Csigó**, nat. 19. Mart. 1799. prof. 6. Junii 1820. ord. 19. Sept. 1822. † in *Sümegh* 18. Aug. 1861.

74. (1849.) **P. Gabriel Varga**, nat. in oppido *Rápa* 29. Aug. 1794. prof. 30. Aug. 1815. ord. 9. Sept. 1817. † in *Andocs* 28. Julii 1872.

75. (1851.) **P. Dominicus László**, nat. *Sabariae* 20. Dec. 1796. prof. 13. April. 1818. ord. 26. Febr. 1820. † in *Andocs* 10. Januar. 1864.

76. (1854.) **P. Ladislaus Balkó**, in *Nyitra-Egerszeg* 3. Aug. 1813. natales accepit; profess. 8. Dec. 1834., ordinat. 5. Aug. 1836.

77. (1863.) **P. Anicetus Varga**, nat. *Albae-Regiae* 24. Sept. 1810. profess. 31. Januar. 1832. ordinat. 22. Dec. 1833. † *Simontornyae* 11. Aug. 1870.

78. (1866.) **P. Georgius Dudás**, nat. 16. Aug. 1815. in *Vezekény* comit. Poson. profess. 4. Aug. 1839. ordinat. 11. Nov. 1839.

79. (1868.) **P. Gerardus Sebestény**, nat. *Comaromii* 1819. 3. Nov. profess. 25. Julii 1841. ordinat. 17. April. 1843. † *Albae-Regiae* 1873. 9. Sept.

80. (1869.) P. Norbertus Mác, nat. 24. Julii 1823. *Rápae*; profess. 27. April. 1846. ordin. 4. Aug. 1847.

81. (1873.) P. Engelbertus Gyurász, nat. in *Ipolybalog* comit. Honth. 18. Octob. 1830. prof. 25. Aug. 1852. ordinat. 5. Nov. 1853.

82. (1875. praesidens) P. Xaverius Jancsik, *Albae-Regiae* 1811. 19. Januar. nat. profess. 1. Maji 1832. ordinat. 24. Mart. 1834.

83. (1876.) P. Paulinus Varró, nat. 4. Sept. 1826. in *Sz.-Márton* comit Jaurin. profess. 30. Dec. 1850. ordinat. 6. April. 1851.

Sacerdotes hujus ord. et prov. hic defuncti:*)

1719. 13. Aug. P. Gregorius Miskóczi.
 1727. 24. Aug. P. Paschalis Maróthi.
 1761. 1. Aug. P. Wolfgangus Völcei.
 1770. 20. Mart. P. Liborius Závoczky.
 1773. 1. Januar. P. Basilius Farkas.
 1775. 30. Aug. P. Ignatius Kiss.
 1780. 8. April. P. Angelinus Tolnhofer.
 1783. 16. Nov. P. Demetrius Viasz.
 1784. 23. Sept. P. Balthasar Kusnyér.
 1785. 13. Jan. P. Medardus Mersics.
 1792. 20. Febr. P. Florentianus Dömöss.
 1793. 16. Januar. P. Gervasius Vargyas.
 1797. 6. Sept. P. Placidus Kozmor.
 1805. 9. April. P. Tobias Kompeller.
 1812. 29. Octobr. P. Procopius Müller.
 1814. 7. Mart. P. Elias Németh.

*) Praeter eos, qui alibi notantur.

1821. 3. Mart. *P. Zephyrinus Pflieger.*
 1822. 15. Octobr. *P. Solanus Kovács.*
 1829. 8. Julii *P. Benedictus Wieszmann.*
 1831. 8. Nov. *P. Norbertus Farkas.*
 1833. 11. Nov. *P. Victorianus Vitéz, vicarius.*
 1835. 20. Febr. *P. Michael Pámer.*
 1847. 16. Febr. *P. Franciscanus Pinkeli, natus 20.*
 Julii 1816. profess. 1839. 4. Aug. ordinat. 1839. 11.
 Nov.
 1855. 14. Aug. *P. Bernardinus Németh, nat. 1785.*
 26. Junii; profess. 1806. 27. Junii; ordinat. 1808.
 24. August.
 1863. 21. Dec. *P. Christophorus Csikméri, nat. in*
Jászberény 19. April. 1794. profess. 23. Nov. 1816.
 ordin. 1. Sept. 1820.
 1869. 3. Junii *P. David Baronyai, nat. Jaurini*
 1794. 14. Octob. profess. 1820. 5. Octob. ordin. 1821.
 7. August.
-